INDEX SCHOLARUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA

HALENSI CUM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

PER AESTATEM

ANNI cIɔIɔcccXXXVIII 1838.

INDE A DIE VII MAII USQUE AD DIEM XXII SEPTEMBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE

HABENDARUM.

Inest Meieri Commentationis Quintae
De Andocidis Quae Vulgo Fertur Oratione Contra Alcibiadem Particula Prima.

HALAE,

TYPIS HENDELIANIS.

UNIVERSITATIS FRIDERICIANAE

PRORECTOR

ERN. ADOLPH. THEODOR. LASPEYRES

CUM

DIRECTORE ET SENATU

S. D.

CIVIBUS SUIS.

Contra Alcibiadem quae est oratio, eam *Ioh. Taylorus* [1]) tribus argumentis usus est ut Andocidi eriperet, tribus ut illi ereptam Phaeaci cuidam Erasistrati filio vindicaret. Atque ex tribus superioribus argumentis illud unum ipse in subsidium vocavi, quod Andocidem negavit cum Alcibiade et Nicia umquam de ostracismo decertasse; duobus reliquis abstinui, quod alterum non verum, alterum non idoneum esset ad obtinendum id quod agitur. Quod enim ab orationis actore memorari dicit domo se humili potius quam illustri esse, Andocidi autem, quippe qui ad Mercurium retulerit gentis originem, summam religiosamque et fuisse generis antiquitatem et iactari alias, id sane faceret non mediocriter ad persuadendum, si esset verum; sed non est verum, neque in hac oratione commemoratur, quod dicitur commemorari, sed illud tantum contendit orator, genus si spectetur, videri ostracismum in Alcibiadem convenire, cuius maiores plus semel ostracismi caussa solum verterint, in se non convenire, cuius ex maioribus nemo sit ostracismum passus. Quod autem apud Lysiam narrari dicit, esse ab Andocide *privato* Siciliam, Italiam, Peloponnesum, Thessaliam, Hellespontum, Ioniam, Cyprum peragratas, ab hoc vero oratore *legationes* memorari ab se in Thessalia, Macedonia, Molossia, Thesprotia, Italia et Sicilia praeclare obitas, id verum quidem est, sed cum qui alio tempore privatus est illuc profectus, caussae nihil sit, quin idem potuerit alias eodem legatus ire, nullam habet persuadendi vim. Ea autem argumenta, per quae efficere conatur esse eam orationem ad Phaeacem referendam, si vel maxime vera essent omnia, ne tum quidem illud probarent, quod probari vult. Attamen operae pretium est etiam haec singulatim dispicere et iusta trutina librare. Taylorus igitur primum, „ipso, inquit, orationis initio actor sibi significat esse cum Nicia et Al-

---

[1]) Lection. Lysiac. p. 265 sqq. Reisk.

cibiade ostracismi certamen, *οἱ δ' ἀνταγωνιζόμενοι περὶ τῶν ἄθλων τούτων ἐσμὲν ἐγὼ καὶ Ἀλκιβιάδης καὶ Νικίας, ὧν ἀναγκαῖον ἕνα τῇ συμφορᾷ περιπεσεῖν*, atque inter Phaeacem et reliquos duumviros esse olim de ostracismo disputatum ex Plutarcho [2]) patet." Eius argumenti auctoritatem *Valckenarius* [3]) et *Ruhnkenius* ita elevaverunt, ut aliisne persuaserint, nesciam, mihi non persuaserint. Ruhnkenius enim, quum quos Plutarchus secutus sit auctores, non inter se conveniant neque res eodem modo narretur, immo vaga et incerta narratio sit, qua sit neglegentia a plerisque tertius ostracismi quasi quidam competitor omissus, eadem Phaeacem contendit esse pro Andocide positum, pro Andocide scilicet, cuius nomen nemini veterum scriptorum ea in re commemoratur. Valckenarius etiam ulterius progressus tum a Plutarcho negat de ostracismi disputatione inter triumviros illos habita quidquam tradi, tum in huius orationis principio *καὶ Νικίας* verba ab eruditulo adiecta vult, quamquam et Plutarchus id in vita Alcibiadis diserte tradit, quod tradi ab eo negat, et in hac oratione illis verbis sublatis ne stare quidem locus potest, in quo tum pro *ἕνα* esset certe *τὸν ἕτερον* dicendum. Sed Ruhnkenius quoque Plutarchum secus intellexit; hic enim non de *numero* eorum, inter quos de testularum periculo certatum sit, sed de ea re una scriptores inter se discrepare dicit, quod Hyperbolus ut ostracismo eiiceretur, plurimi quidem, quos ipse sequitur Plutarchus, re cum Nicia, pauci, inter quos Theophrastus Eresius, re cum Phaeace composita effecisse Alcibiadem velint; eam sententiam vita Alcibiadis tam manifesto prae se fert, ut dubitari nequeat quin obscurior ille locus ex vita Niciae non in eum modum accipiendus sit, quasi vero „plurimi scriptores" nullam omnino ea in re fecerint Phaeacis mentionem; nam id si dixisset, „pugnantia secum frontibus adversis" posuisset Plutarchus in vitis Niciae et Alcibiadis; sed non posuit, etiamsi non *πρὸς Ἀλκιβιάδην διαλεχθέντος* quo etiam in Aristidis vita (c. VII) utitur, sed *π. Ἀ. ἐρίσαντος* scripsit. — II. Alterum argumentum Taylori hoc fere est: quae de se profiteatur orationis actor, in Phaeacem cadere omnia. Redeunt haec, si quid video, ad tres notas; 1) primum enim ab oratore commemorari, capitis se olim caussam dixisse atque absolutum esse, duos, qui in eadem secum caussa fuerint, dissimili fortuna usos capite noxam luisse, Phaeacem autem constare [4]) caussam capitis *ἐπαντοφώρῳ* dixisse et facundiae salutem debuisse; 2) dein genus suum oratorem dicere [5]) humile potius atque ignobile quam illustre esse, Phaeacem autem neque domo fuisse nobilem neque maioribus clarum, immo hominem quasi novum et nobilitatis suae primum auctorem; 3) denique legationes suas iactare oratorem, Phaeacem autem anno X° belli Peloponnesiorum legatum esse ab Atheniensibus in Siciliam atque Italiam missum [6]), qui sociorum animos confirmaret, alios contra Syracusanos irritaret. Ex his tribus notis secundam et tertiam impugnavit Ruhnkenius: neque enim Phaeacem fuisse obscuro genere ortum, neque

---

[2]) ***Plut.*** Alcib. 13. *Ἀγῶνα εἶχε (Ἀλκιβιάδης) πρός τε τὸν Φαίακα τὸν Ἐρασιστράτου καὶ Νικίαν τὸν Νικηράτου. — Ἐπεὶ δὲ δῆλον ἦν, ὅτι ἑνὶ τῶν τριῶν τὸ ὄστρακον ἐποίσουσι, συνήγαγε τὰς στάσεις πρὸς ταὐτὸν ὁ Ἀλκιβιάδης καὶ διαλεχθεὶς πρὸς τὸν Νικίαν κατὰ τοῦ Ὑπερβόλου τὴν ὀστρακοφορίαν ἔτρεψεν. Ὡς δ' ἔνιοί φασιν, οὐ πρὸς Νικίαν ἀλλὰ πρὸς Φαίακα διαλεχθεὶς καὶ τὴν ἐκείνου προσλαβὼν ἑταιρίαν ἐξήλασε τὸν Ὑπέρβολον, οὐδ' ἂν* (l. *οὐδὲν*) *προσδοκήσαντα.* ***Id.*** Nic. 11. *Ἀκμαζούσης τῆς πρὸς τὸν Νικίαν τοῦ Ἀλκιβιάδου διαφορᾶς καὶ γιγνομένης ὀστρακοφορίας — πολὺς θόρυβος ἀμφοτέρους περιΐστατο καὶ κίνδυνος ὡς θατέρου πάντως ὑποπεσουμένου τῷ ὀστρακισμῷ — Ὑπέρβολος — καταφανὴς ἦν ἡδόμενός τε τῇ διαφορᾷ καὶ παροξύνων τὸν δῆμον ἐπ' ἀμφοτέρους. συνιδόντες οὖν τὴν μοχθηρίαν οἱ περὶ τὸν Νικίαν καὶ τὸν Ἀλκιβιάδην καὶ λόγον δόντες ἀλλήλοις κρύφα καὶ τὰς στάσεις συναγαγόντες εἰς ἓν ἀμφοτέρας καὶ ἀναμίξαντες ἐκράτησαν, ὥςτε μηδέτερον αὐτῶν ἀλλὰ τὸν Ὑπέρβολον ἐξοστρακισθῆναι. — Οὐκ ἀγνοῶ δ', ὅτι Θεόφραστος ἐξοστρακισθῆναί φησι τὸν Ὑπέρβολον Φαίακος οὐ Νικίου πρὸς Ἀλκιβιάδην ἐρίσαντος, ἀλλ' οἱ πλείονες οὕτω γεγράφασιν.* Theophrasti locum in libro de legibus infuisse, probavi in commentatione de ostracism. §. 1 not. 5. [3]) ***Valcken.*** ap. ***Sluiter.*** Lect. Andocid. p. 17 sqq. ***Ruhnken.*** hist. cr. orat. graec. p. 135 R. [4]) ***Aristoph.*** Eq. 1374 c. schol. [5]) §. 34. [6]) ***Thuc.*** V, 4.

ab oratore genus abiici suum; legatum autem Phaeacem constare sane in Italiam esse et in Siciliam missum, sed inde Thucydide teste domum revertisse, ab oratore autem iactari legationes ab se etiam in Thessalia et Macedonia et Thesprotia obitas. Sed ne prima quidem nota ita cadit in Phaeacem ut in hunc solum conveniat, sed ita cadit ut ab Phaeace non abhorreat, ut de Phaeace potuerit praedicari; idem vero arbitror etiam in reliquas duas notas cadere ab Ruhnkenio sublatas. Etenim si neque Phaeax obscuris erat natalibus, neque orationis actor genus suum obscurum fuisse dicit, si Phaeax in Italiam et Siciliam legatus ivit et orationis actor se non tantum illuc sed insuper etiam in Thessaliam et Macedoniam et Thesprotiam legatum missum esse commemorat, nihil certe inest orationi, unde Phaeacem non posse huius orationis actorem esse comprobetur. Id ut non multum est, ita non est plane nihil; ea enim, ut hoc utar, Andocides ne potuisset quidem de se praedicare. — III. Iam res redit ad triarios, ad illud telum, quod retorqueri nullo modo, ad id argumentum, quod nulla vi infirmari posse Taylorus statuit; Plutarchum[7]) enim haec posuisse: *φέρεται δὲ καὶ λόγος τις κατ᾿ Ἀλκιβιάδου καὶ Φαίακος γεγραμμένος, ἐν ᾧ μετὰ τῶν ἄλλων γέγραπται, καὶ ὅτι τῆς πόλεως πολλὰ πομπεῖα χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ κεκτημένης Ἀλκιβιάδης ἐχρῆτο πᾶσιν αὐτοῖς ὥςπερ ἰδίοις πρὸς τὴν καθ᾿ ἡμέραν δίαιταν.* Hic pro *καὶ Φαίακος* ex cod. ms. Aldino esse *ὑπὸ Φαίακος* scribendum; quae autem verba in Phaeacis contra Alcibiadem oratione hic dicantur extare, ea ipsa in hac legi, quae Andocidis nomen prae se ferat §. 29: *τὰ πομπεῖα παρὰ τῶν ἀρχιθεωρῶν αἰτησάμενος ὡς εἰς τἀπινίκια τῇ προτεραίᾳ τῆς θυσίας χρησόμενος, ἐξηπάτησε καὶ ἀποδοῦναι οὐκ ἤθελε, βουλόμενος τῇ ὑστεραίᾳ πρότερος τῆς πόλεως χρήσασθαι τοῖς χρυσοῖς χερνίβοις καὶ θυμιατηρίοις.* At vero quos locos eosdem esse praedicat Taylorus, eos et verbis vehementer distare neque mediocriter sententia discrepare Valckenarius et Ruhnkenius satis probaverunt; vasa enim sacra ab Alcibiade Plutarchus quotidianos, id est profanos ad usus, orator hic ad pompam et commissationem Olympicam narrat adhibita, quae res sunt diversissimae; neque in illud invehitur orator, quod sacris civitatis vasis Alcibiades sit ad privata *ἐπινίκια* abusus, sed quod vasa ab principibus Atticae legationis sacrae ad epiniciorum privata sollemnia mutuatus, reddere postridie noluerit, cum publice haberetur pompa fieretque sacrificium ab victoribus certaminum, ab legationibus sacris, ab hellanodicis, sed suo publice facto sacrificio prius adhibuerit; quo illud consecutus est Alcibiades, ut cum vasis iisdem Attica postea uteretur theoria, non ipse civitatis, sed civitas Alcibiadis vasa videretur mutuo accepisse.[8]) In Plutarcho autem quam Taylorus probavit scripturam atque receperunt Coraes, Baehrius, Schaeferus „*ὑπὸ Φαίακος*," eam Xylandri tantum esse correctionem, ab anonymo adnotatam, in libro autem nullo repertam satis evicit Sintenisius,[9]) qui cum scripturam tueatur, quae communis est librorum omnium, sententiam autem eius hanc velit esse „Phaeacis, ut in aliis rebus adversatus est Alcibiadi, ita etiam oratio extat; alterum *καί*, quod est ante *Φαίακος* vim hanc habet, ut indicet etiam Phaeacem, ut Lysiam, Antiphontem orationibus exagitasse Alcibiadem," haud scio an ingeniosius sit quam verius versatus. Neque enim aut e re nunc erat, illud indicasse quod dicit indicari Sintenisius, cum in iis, quae antecedunt proxime, nulla sit vel Antiphonteae vel Lysianae orationis mentio facta, aut ita est indicatum, ut indicium facili negotio intellegas; etenim si voluit illud indicari, quidni scripsit multo simplicius: *φέρεται δὲ καὶ Φαίακος καὶ λόγος τις κατ᾿ Ἀλκιβιάδου γεγραμμένος?* Uti enim nunc scriptus est locus, *καὶ Φαίακος* vix divellas ab *κατ᾿ Ἀλκιβιάδου*, atque

---

[7]) Vit. Alcibiad. c. 13. [8]) Cf. commentat. *meam* de Olympior. lud. §. 6. in Encyclop. Art. III, T. 3 p. 301. sq. not. 2. [9]) ad Plutarch. Pericl. p. 279.

quum hodieque extet Lysiae oratio *κατὰ Ἐπικράτους καὶ τῶν συμπρεσβευτῶν*, quum in manibus habeamus Demosthenis orationes *πρὸς Ναυσίμαχον καὶ Ξενοπείθη*, *κατὰ Εὐέργου καὶ Μνησιβούλου*, quum olim extiterit Lysiae oratio *πρὸς Νικόδημον καὶ Κριτόβουλον*, Isaei *κατὰ Ἐλπαγόρου καὶ Δημοφάνους*, Hyperidis *πρὸς Πυθέαν καὶ Λυκοῦργον*, Dinarchi *πρὸς Περικλέα καὶ Δημοκράτην*, orationes igitur contra duos scriptae non adeo rarae fuerint usu, unusquisque, qui modo legit *λόγος κατ᾽ Ἀλκιβιάδου καὶ Φαίακος γεγραμμένος*, in eam primum defertur sententiam, ut orationem contra Alcibiadem et Phaeacem scriptam significari credat. Verum tamen, cum ea sit Plutarchei loci cohaerentia, ut significanda fuerit oratio ab Phaeace non contra Phaeacem scripta; (quae enim eum locum praecedunt ad facundiam pertinent Phaeacis, qui dicendi laude ab Alcibiade superatus sit, ipsius in republica adversario et aemulo), quumque *καὶ* et *ὡς* tam similibus notis scribantur, ut et facile confundi possint et saepe librariorum oscitatione confusa sint,[10]) praestare videtur rescribere: *Φέρεται δὲ καὶ λόγος τις κατ᾽ Ἀλκιβιάδου ὡς Φαίακος γεγραμμένος* „fertur oratio quaedam contra Alcibiadem scripta, ut Phaeacis.“ Id si recte coniicio, Plutarchus significasse putandus est, primum eam orationem admodum obscuram et ignobilem (*λόγος τις*), dein Phaeacis quidem nomine esse inscriptam, inscriptionem autem eam suspectam videri. Verum ea de coniectura aliis aliud placeat; quod Tayloro autem firmissimum visum est argumentum, id iam corruit ita, ut plane iaceat. Quae vero praeterea Ruhnkenius et Valckenarius Tayloro opposuerunt, non sunt admodum valida. Ruhnkenius enim „sed finge,“ inquit „Phaeacis esse orationem. Illene Alcibiadem, quocum de Hyperbolo eiiciendo consenserat, tam indignis modis accepisset? et quis orationem habet adversus eum, quocum conspiret?“ Ego vero et olim licuisse arbitror et nunc licere, adversus quem orationem antea habueris, quem indignis modis antea acceperis, cum eo postea in gratiam redire atque de alio eiiciendo consilia communicare. „Quid?“ pergit, „Phaeacis oratio, Plutarcho lecta, si ostracismum in disceptationem vocasset Plutarchus rem confectam habuisset, nec ullo modo dubitare potuisset, sicut dubitat, an Phaeacis partes quaedam in hoc certamine fuerint.“ His iam quodammodo responsum est supra; neque enim illud dubitat Plutarchus, Phaeacisne quoque eo in certamine partes fuerint quaedam, sed illud unum dubitari dicit, Alcibiades utrum cum Phaeace an cum Nicia de eiiciendo Hyperbolo conspiraverit, id quod poterat dubitare, etiamsi hanc legit orationem atque ab Phaeace scriptam esse credidit. Valckenarius autem „mirum est“, inquit, „si hanc ut *Phaeacis* legerit orationem *Plutarchus*, nihil inde, quod ad *Alcibiadem* spectet, eum excerpsisse, praeter illud perpusillum sane. Multa ibi habentur historica vitae *Alcibiadis*, quae *Plutarchus* attigisset, si cognita habuisset.“ Aliis contra visus est Plutarchus neque pauca ex hac oratione in suos usus vertisse; id rectene sit visum, nunc non quaero; illud vero iam nunc licet contendere, praeter tributorum novam descriptionem ab Alcibiade factam nullam rem commemorari ab oratore, quin a Plutarcho significata sit; atque quod rerum utrique communium non ita conspirat enarratio ut videri possit ex altera altera expressa, id nemini mirum videbitur qui meminerit Plutarcho indignum fuisse in illustrium virorum vitis scribendis multum adversariorum conviciis et contumeliis tribuere. Verum fac multa esse, quae excerpere potuerit ex oratione Plutarchus, neque tamen excerpserit; num id si est mirum, magis mirum est, si eam orationem ut Phaeacis, quam si eandem ut Andocidis legit? Ego vero non credo. Quae reliqua profert Valckenarius, cum non faciant contra Phaeacem, ut orationis auctorem, sed pugnent pro Andocide, ad quem superioribus commentationibus expositum est cur non possit referri oratio, licebit verbo expedire. Namque cum tribus insuper usus sit argu-

10) Cf. *Bast.* et *Schaef.* ad Greg. Cor. p. 24 sq. 201. 217. 781. 816.

mentis Valckenarius, eorum unum (VIIum) „quod ea oratio sine dubitatione ut Andocidis citetur ab Harpocratione“, tum examinabimus, ubi orationis interiore virtute demonstrata testimoniorum naturam aestimabimus, quae orationi fidem partim adferunt, partim imminuunt; VIum autem et VIIIum, quae eodem redeunt „vim dicendi in hac oratione elucere admirabilem et prorsus Andocideam, stilum videri eundem in hac oratione atque in reliquis, quae sint sine controversia Andocidea“, statim et uno ictu conficiam utrumque. Etenim cum Valckenarius non singulatim demonstraverit inesse orationi virtutes eas, quibus spectatur eloquentia, istuc ipsum eluceatne admirabilis dicendi vis in hac oratione, tum demum apparebit, ubi eius singula et verba et sententias in iudicium severum illud quidem, sed, ni fallor, non iniquum adduxerimus; sed fac vere praedicare Valckenarium de virtutibus orationis, multo minus ea potest haberi pro fetu Andocidis, quem consentiens antiquitas admirabilem vim dicendi negavit esse consecutum.

Eo igitur iam deducta est disputatio, ut nihil constet ab Tayloro esse allatum, quod *ab Phaeace* profectam esse orationem doceat; sed quae quidem accommodate ad persuadendum sunt dicta, eo valent, ut quicumque demum fuerit orationis auctor, ab eo vel *Phaeaci vel ex persona Phaeacis* scriptam eam esse dicas. Atque id mihi quoque placet; nam cum Alcibiades Niciasque semel omnino idque cum Phaeace de ostracismo decertasse narrentur, ea oratio, in cuius principio actor profitetur sibi adversus illos duumviros ostracismi certamen esse, non potest ex alius actoris persona scripta esse, quam ex Phaeacis, nisi vel ea ipsa in re ab auctore orationis dicas contra rerum fidem et memoriam commissum esse. Eam igitur narrationem, qua de testularum discrimine inter III illos principes viros disceptatum esse ferebatur, legit personatus orator, eam pro fundo habuit, cui suam declamationem superstrueret. —

Postquam vero evicimus orationem ad Andocidem nullo modo referri posse, ad Phaeacem non demonstratum esse cur debeat referri, age iam illud conemur efficere, ut ne ab aequali quidem Andocidis eam proficisci potuisse intellegatur; quod si obtinebimus, etiam magis actum erit de Taylori coniectura ut de Ruhnkenii Valckenariique iudicio.

II.

Contendo igitur inesse orationi, quae aequalium nemo, non inesse, quae ea in opportunitate aequalium quisque dixisset; contendo ita compositam esse orationem, ut neque tempus, neque locus possit cogitari, quo aut haberi aut audiri potuerit; quam autem aequalium aliquis vel stili exercendi caussa scripserit orationem, ita certe adornaturum fuisse, ut si minus suo certe aliquo et tempore et loco posset videri habita esse. Haec iam sed inverso ordine demonstratum eo singula. Donec enim lex erat de ostracismo, id est ab Clisthenis inde descriptione reipublicae usque ad Hyperbolum urbe eiectum, testularum certamen ita haberi solitum est, ut primum plebs quotannis decerneret, eo anno illud certamen videreturne sibi an non videretur instituendum, id quod in prima concione ordinaria sextae prytaniae, id est inter Decembrem Ianuariumque mensem erat decernendum; ubi vero ea in concione recitato SCto, quod ea de re esset perscriptum, plebis maior pars manuum allevatione iussisset ostracismum haberi, plebisscitum fiebat, quo credibile est tum ternos cives de ostracismo inter se decertaturos designatos, tum tempus ineundo certamini, nisi id lege erat perpetua sancitum, esse constitutum; eo autem tempore, quod erat sive lege sive plebisscito iussum sive ex magistratuum arbitrio constitutum, concio in foro vetere Ceramici urbani praesidentibus novem praetoribus et senatu quingentorum habeba-

tur, atque in ea concione populus ita tributim suffragia ferebat, ut cuius nomen ex ternis illis designatis non tribuum sed civium maior pars eaque non infra sex millia in testulis scripsisset, is voce praeconis excedere intra decimum diem urbe et olim per decem, postea per quinque annos continuos carere civitate iuberetur; annis enim singulis singulos tantum licebat testarum nomine urbe eiicere[11]). Haec quum ita sint, in quanam concione vis hanc contra Alcibiadem orationem esse habitam? quae si non in concione est habita, nunquam est habita. In primane ordinaria sextae prytaniae? at ipsum orationis initium docet iussum iam ostracismum haberi, designatos iam esse inter quos certaretur de ostracismo. An igitur in ea ipsa concione qua institutum est certamen? crederes id propter ea quae §. **5.** extant: *οἶμαι δὲ καὶ τοὺς φίλους ὑμῶν ἐν ταύτῃ μάλιστα τῇ ἡμέρᾳ λυπεῖσθαι καὶ τοὺς ἐχθροὺς ἥδεσθαι.* Verum haec concio in foro habebatur, in quo neque suggestus fuit sive *βῆμα* oratori neque sedilia auditoribus, stantes vero audiverunt Romani cives, non audiverunt Graecorum conciones, ne heroicae quidem aetatis *ἀγορά,*[12]) fortasse[13]) ne Spartanorum quidem *ἁλία*, nedum Athenienses, apud quos quantum invaluerit mos ut sedens audiret concio et iudicium, illud documento est, quod totiens solum *οἱ καθήμενοι*[14]) de concione aut de iudicio dicitur. Atque eidem concioni ne *tempus* quidem fuisse videtur orationes audiendi; ponamus enim civium amplius sex millia testas non in unam quidem cistam cunctos iecisse (nam tum *ὀστρακοφορίᾳ* ne tres quidem dies suffecerint), sed singulis tribubus suas fuisse cistas, ut deni simul cives potuerint suffragia ferre; dies tamen octo vel decem horarum nullo modo etiam orationibus habendis sufficeret; nam eo die singulis tribubus conveniendum erat in sua conciliabula sive *ἀγοράς*[15]), hinc tribubus singulis singulatim intra septa fori procedendum, ab tribulibus, ut minimum numerum ponam, sexcentenis, testae singulatim inscribendae (inter quos non pauci litterarum rudes scribendique expertes fuerint, qui debebant nomina per alios scribenda curare) inscriptae testae ferendae in cistas, cistae aperiendae, testae dirimendae, denique describendae et cuius nomen maior civium pars in testis scripsisset,[16]) ei per praeconem indicendum ut urbe excederet. At, inquit, tres breves orationes non multum temporis exigunt. Verum orator quamquam §. **25.** Alcibiadem indicare videtur nondum dixisse sed dicturum esse caussam (*ἡγοῦμαι δ' αὐτὸν πρὸς τοῦτο μὲν οὐδὲν ἀντερεῖν, λέξειν δὲ περὶ τῆς νίκης τῆς Ὀλυμπίασι, καὶ περὶ πάντων μᾶλλον ἢ τῶν κατηγορηθέντων ἀπολογήσεσθαι*, ubi velim advertas ad futurum tempus), tamen §. **8.** de suis accusatoribus plurali numero loquitur (*εἰκότως ἂν τῶν κατηγορούντων ἠκροᾶσθε*), ut praeter tres illos ostracismi competitores alii etiam in ea concione verba fecerint necesse sit, si huic oratori fides est. — Accedit, quod si in hac concione habita esset oratio, vix locus fuisset Alcibiadi Niciam et Phaeacem ita in suas partes trahendi ut imminentem sibi ostracismum coniunctis studiis in Hyperbolum deflecterent. — Reliquum est, ut orationem habitam dicas una ea-

---

11) Cf. comment. *meam* de ostracismo §. 4 in Encycl. Art. III, 7 p. 180 sqq. 12) *Homer.* Il. B. 95. *ὑπὸ δ' ἐστοναχίζετο γαῖα, λαῶν ἱζόντων.* — *σπουδῇ δ' ἕζετο λαὸς, ἐρήτυθεν δὲ καθ' ἕδρας κτλ.* ut tot locos taceam, quibus et surgere dicuntur qui verba sunt facturi, et considere, qui verba fecerunt, *τοῖσι δ' ἀνιστάμενος μετέφη* (*A*, 57.) *ἤτοι ὅγ' ὣς εἰπὼν κατ' ἄρ' ἕζετο* (ib. 68.) 13) Omnem tollit dubitationem *Thuc.* I, 87 *ἀναστήτω.* 14) Cf. *Dem.* Mid. §. 18. 15) *Boeckh.* C. I. Gr. I, p. 125. 16) Rem ne quis a me exaggerari criminetur, moneo, Lutetiae Parisiorum a. d. XXVI. Dec. 1837, cum in concilio legatorum (deputés) Galliarum suffragia ferrent CCCIIL legati, electionem eorum qui essent pro praeside horarum fuisse trium et dimidiae (Journ. des débats 27. Decbr.), sequenti die quum eligerentur qui essent concilio a secretis „cette operation (le depouillement du scrutin) commencée à trois heurs est achevée à cinq heurs moins un quart"; quantum autem interest litteratissimos Galliarum legatos, suffragiis ferendis exercitatos, in suffragia mittere et Atticos cives, maximam partem illitteratos, quorum plurimi raro interfuerint concioni, quibus nomen non ut illis papyro, sed testulis inscribendum erat; quod apud illos trium horarum est, apud hos esset, ut minimum ponam, septem vel sex horarum, si *idem* tantum esset suffragia ferentium numerus.

rum concionum, quae inter *κυρίαν ἐκκλησίαν* sextae prytaniae et concionem eam, qua *ὀστρακοφορία* institueretur, mediae essent interpositae. Verum neque constat ulla praeterea concione de ostracismo esse actum, neque omnino credibile in ostracismo habendo ab quoquam eorum, qui ei certamini essent designati, verba ad populum facta esse; alioquin non potuisset aut hic orator §. 3. commemorare in ostracismo esse neque accusationi neque defensioni locum (*οὔτε κατηγορίας γενομένης οὔτε ἀπολογίας δοθείσης*), aut pervulgari in vulgus illa fabula an historia [17]) de Aristidis ostracismo; nam si in ea opportunitate concionati ad multitudinem fuissent et qui populo auctores erant, ut Aristides urbe eiiceretur, et Aristides cum ab eo se periculo defenderet, non potuisset utique illitteratus ille rusticus aut adeo Aristidem ignorare, ut non alium potius quam ipsum Aristidem rogaret, velletne pro se Aristidis nomen testulae inscribere, aut speciosis caussis, cur eum eiici vellet, adeo carere, ut tam inhumanum responsum redderet, „non placere sibi quod is tam cupide elaborasset ut praeter ceteros Iustus appellaretur." Haec Andocidem aut Andocidis aequales qui ostracismum ipsi viderant exerceri, non poterant fugere; sed fac in ostracismo non defuisse aut tempus aut locum orationibus habendis et audiendis, illud unum, quod ab hac oratione omnis abest et temporum, in quae ostracismus ille cadebat, accuratior notatio, et coronae, apud quam oratio habita sit, significatio, quarum utramque verus orator vel nolens et invitus prodidisset, personatus orator fugit, ne erroris convinceretur, vel illud igitur satis est documento, quo tempore haec scriberetur oratio, ea omnia iam ignorata fuisse. Nunc enim quod annum definire licet, quo haberi debuit, habita si esset, quod orationis fictum tempus scimus cadere in Ol. XCI, 1, intra Decembrem mensem anni a. Ch. CCCCXVI et Iunium mensem anni CCCCXV, non orationis auctori illud acceptum referimus sed aliis scriptoribus [18]). Num verus orator tum rerum omnium omisisset memoriam, quae illi opportunitati propriae erant et ad ostracismum pertinebant, tum virorum, quorum studiis, contentionibus, artibus illud testularum certamen agitatum est? Hic vero ne verbum quidem habet, unde doceamur aut quid ab cyria ecclesia sextae prytaniae ad habitum usque ostracismum sit actum gestumque, aut quinam eo anno auctores populo fuerint, ut ostracismus haberetur, et qui factum sit, ut praeter Alcibiadem Niciamque ipse certamini illi destinaretur? Quid quod de Nicia ne tantillum quidem verborum facit actor, in unum debacchatur Alcibiadem, quamquam ei non minus erat cum Nicia quam cum Alcibiade decertandum, et quamquam ita est adornata oratio, ut Niciam aut Niciae amicos ante actorem credas verba ad populum fecisse; nam cum Alcibiades non dicatur dixisse, dicatur dicturus esse caussam, quis alius *τῶν κατηγορούντων* (§. 8.) nomine intellegatur praeter Niciam et Niciae patronos? Levius quiddam est neque tamen plane praetereundum, quod semel tantum et oratione iam ad exitum vergente §. 36, 6. appellatio reperiatur coronae audientium *ὦ Ἀθηναῖοι*, cum in oratione de mysteriis, quae est apud iudices habita, quinquagies fere redeat appellatio *ὦ ἄνδρες* §. **1. 2.** (bis) **3. 5. 6. 8. 10. 14. 15.** extr. **19. 22.** extr. **25. 27. 29. 37. 39. 43. 46. 51. 52. 54. 56. 57. 60. 67. 69.** (bis). **85. 88. 92. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 109. 117. 120. 123. 124. 127. 128. 130. 132. 139. 140. 142. 146**, semel *ἄνδρες* §. **89.** extr., semel *ὦ ἄνδρες δικασταί* §. **136.** princ., semel *ὦ Ἀθηναῖοι* **137.**, in orationibus autem de reditu et de pace, quae concionales sunt, appellatio *ὦ ἄνδρες* bis (de red. §. **1.** §. **5.**), *ὦ Ἀθηναῖοι* duodevicies (de reditu §. **6. 17. 22. 24.**, de pace §. **1. 2. 4. 6. 10. 17. 21. 25. 32. 34. 35. 37. 41.** (bis)), *ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι* semel ib. §. **13.** extet. Non ei rei multum tribuo; scio enim Antiphontem, qui in iudicialibus orationibus

---

17) *Plutarch.* Arist. 7. Apophthegm. p. 116. Vol. VIII. Hutt. *Corn. Nep.* III. 1. *Suid.* v. *Ἀριστείδης*.
18) Cf. comment. *meam* de ostr. p. 187.

appellatione utitur *ὦ ἄνδρες* I, **1. 3. 19. 26. 30**, extr. II, *β*. **13.** III, *γ*. 3. V, **1. 7. 17. 20. 45. 49.** 52. 72. **86.** (bis). **92.** VI, **7. 9. 14. 16. 20. 25. 28. 29. 33. 41.**, semel appellatione *ὦ δικάζοντες* **1.** §. **7.** ter appellatione *ὦ ἄνδρες δικασταί* III, *β*. §. **2.** V, **84.** VI, **1.**, in nonnullis brevioribus *τετραλογιῶν* orationibus nulla omnino uti appellatione (veluti II, *α*; *γ*; *δ*. III, *α*; *δ*. IV, *α*; *β*; *γ*; *δ*.); scio etiam Lysiae orationes breviores VIII et IX omni carere appellatione; etiam apud Thucydidem in funebri oratione (II, **35.**), in nonnullis concionalibus orationibus nullam extare appellationem, veluti in ea, quam ad Athenienses Corcyraei (I, **37** sqq.), Pericles (II, **60.**), Cleo (III, **37.**), Diodotus (III, **41.**), Nicias (VI, **10.**), ad Syracusanos Hermocrates (ib. **33.**) et Athenagoras (ib. **36.**) habere finguntur, cum in aliis extet, veluti I, **32** in Corcyraeorum, I, **140** in Periclis, IV, **17** in Lacedaemoniorum, IV, **95** in Hippocratis oratione *ὦ Ἀθηναῖοι*, I, **68** in Corinthiorum, I, **76** in Atheniensium, I, **79** in Archidami, I, **86** in Sthenelaidae, III, **53** et **67** in Thebanorum, *ὦ Λακεδαιμόνιοι*, I, **120** in oratione Corinthiorum *ὦ ἄνδρες ξύμμαχοι*, II, **11** in Archidami *ἄνδρες Πελοποννήσιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι*, II, **87** *ὦ ἄνδρες Πελοποννήσιοι*, II, **89** *ὦ ἄνδρες στρατιῶται*, IV, **10** in Demosthenis *ἄνδρες οἱ ξυναράμενοι τοῦδε τοῦ κινδύνου*, IV, **59** in Hermocratis *ὦ Σικελιῶται*, IV, **85** in Brasidae oratione *ὦ Ἀκάνθιοι*, **126** *ἄνδρες Πελοποννήσιοι*, **92** *ὦ ἄνδρες Βοιωτοί*. At in isto declamatore fuga appellationis ex ignoratione coronae videtur explicanda; nobis quidem sane constat non in iudicio, non in senatu, non in *ἑταιρίας* aliquo conciliabulo, sed in concione tantum eam haberi potuisse orationem, qua quis ostracismi periculum ab se defenderit et in alium intenderit; istum vero hominem suam coronam non satis ab iudicio distinxisse, etiam alius locus, quem infra afferemus, demonstrabit. Verum id, ut dixi, levius, neque caret excusatione; illud gravius, quod ne verbo quidem deflet imminentem sibi solitudinem, calamitatem patria carentis et in peregrina civitate inquilinorum in numero viventis. —

III.

Sed si ita reprehendendus est orator eorum nomine, quae non dixit, cum deberet dicere, quomodo defendi poterunt, quae dixit, cum non deberet dicere? Cum animus sit orationem ita a principio usque ad finem perlustrare nunc, ut neque omittam, quae in reprehensionem incurrere videantur, neque reticeam si quae mihi laudabilia occurrant, praevideo iam futurum, ut stipato agmine impetum in me faciant viri boni, qui „exemplorum nube“ excusari posse probabunt, quae ego incusavero. Licebit mihi enim Graecorum imitari exemplum, apud quos tum dicendi magistri praecipiunt[19]) *τὰ ὑπὸ τῶν ἀνταγωνιστῶν ἐπίδοξα λέγεσθαι ὡς δεῖ προκαταλαμβάνειν*, tum[20]) oratores *προδιήγησιν τῆς ἀπολογίας ἧς ἀκούουσι μέλλειν γίγνεσθαι* exhibent. Ego vero scio istorum potuisse praecidi impetum, si satis habuissem afferre, quae nulla arte excusari poterunt; sed velim utrumque teneant qui haec legent, et illud quod in Gallorum proverbio est, recte accusari, cui sit excusatione opus, et hoc suum cuique litterarum generi esse ut sentiendi ita etiam dicendi quendam quasi orbem, quem nemo impune excedat, quin statim coelum quasi mutasse videatur; atque id valet non minus in prosae orationis quam in poesis genera, neque minime in illam ab Graecis magis quam ab alia ulla natione excultam eloquentiam. Quodsi mihi nihilominus quandoque acciderit, ut diutius in eandem rem intentus praestricta mentis acie mihi videar vidisse quae non adsunt, erit apud aequos iudices non minus excusando quam reprehendendo locus.

---

[19]) *Aristotel.* Rhetor. ad Alex. c. **19.** p. **1433**, **31.** Bekk.
[20]) *Aeschin.* c. Tim. §. **116.**

Mitto prooemii initium[21]), quo orator non nunc demum, sed iam antequam ad aliquam reipublicae partem accesserit, intellexisse se dicit, quam sit arduum attingere rempublicam, boni autem civis illud se putasse semper, ut pro populo periclitetur, neque vero privatas extimescens simultates publicarum rerum curam abiiciat; civitates enim per eos, qui privatas tantum res agant, nihilo fieri maiores, per eos autem, qui publicas capessant, magnas et liberas; illud igitur mitto, quamquam quem continet locum communem (nam est communis locus) neque ita cum ea re quae agitur, cohaeret, ut audientium animis ad eam praeparandis idoneus sit, et ita friget, ut non periculis circumdatum oratorem sed securum declamatorem spiret, quamquam et τῶν πολιτικῶν πραγμάτων ἅπτεσθαι aliud quam *oratorum* coelum refert, quamvis τὰ τῆς πόλεως et τὰ πολιτικὰ πράττειν si minus ab oratoribus certe ab aliis frequentetur scriptoribus illius aetatis, quamquam denique et νομίζω pro ἐνόμιζον et προκινδυνεύειν τοῦ πλήθους de eo dictum, qui non bellorum aut proeliorum pericula pro populo ingrediatur[22]), sed civiles procellas sustineat, si minus offensioni, certe insolitum est. In iis autem, quae sequuntur „ὧν τῶν ἀγαθῶν εἷς ἐγὼ βουληθεὶς ἐξετάζεσθαι μεγίστοις περιπέπτωκα κινδύνοις, προθύμων μὲν καὶ ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὑμῶν τυγχάνων διόπερ σώζομαι, πλείστοις δὲ καὶ δεινοτάτοις ἐχθροῖς χρώμενος ὑφ᾽ ὧν διαβάλλομαι," „ἐξετάζεσθαι" quidem eo significatu satis est oratorum usu comprobatum[23]), neque περιπίπτειν κινδύνοις ab eo usu abhorret, qui certe περιπίπτειν ἀτυχίαις, ἀτυχήμασι, ζημίᾳ, συμφοραῖς, ὀργῇ, λοιδορίαις, λόγοις frequentat[24]), sed tum ὧν τῶν ἀγαθῶν neque excusatur iis exemplis, in quibus pronomini relativo *interposita longiore oratione* additur substantivum[25]) perspicuitatis caussa, neque sanatur sublatis τῶν ἀγαθῶν (nam illud est scriptorem, non eius librarium corrigere), tum προθύμων–διαβάλλομαι quocunque demum modo verbis διόπερ σώζομαι medeare, quae mihi quidem sensu cassa videntur (erat cum δι᾽ ὧνπερ ἐσωζόμην expectarem), displicent vehementer; nam primum προθύμων καὶ ἀγαθῶν ἀ. ὑ. τυγχάνων non explicant, qui factum sit, ut in pericula incideret, cum bonorum vellet in numero esse, quam explicationem continent verba πλείστοις–διαβάλλομαι; atqui superius incisum ut oratorem credas voluisse inferiori respondere, faciunt iam μὲν–δὲ particulae; accedit quod naturalis ordo neglectus est, si quidem in pericula necesse est prius inciderimus, quam ex iis eripi et servari liceat; erat igitur sic potius collocandum: πλείστοις μὲν – διαβάλλομαι, προθύμων δὲ καὶ ἀγαθῶν – σώζομαι; denique viri bene de populo meriti dici solent[26]) πρόθυμος καὶ ἀγαθὸς περὶ τὸν δῆμον (τὴν πόλιν, τὴν φυλὴν) γενόμενος, sed qui ea fuerit impudentia, ut populum de se bene meritum in se πρόθυμον καὶ ἀγαθὸν γενόμενον dixerit, scio neminem. Verum illis missis propero ad graviora; sequitur enim locus hic: ὁ μὲν οὖν ἀγὼν ὁ παρὼν οὐ στεφανηφόρος ἀλλ᾽ εἰ χρὴ μηδὲν ἀδικήσαντα τὴν πόλιν δέκα ἔτη φεύγειν· οἱ δ᾽ ἀνταγωνιζόμενοι περὶ τῶν ἄθλων τούτων ἐσμὲν ἐγὼ καὶ Ἀλκιβιάδης καὶ Νικίας, ὧν ἀναγκαῖον ἕνα τῇ συμφορᾷ περιπεσεῖν, in quo nolo reprehendere aut περιπεσεῖν paucis versibus interiectis post περιπέπτωκα ingratius repetitum, aut quod

---

[21]) Graeca verba subscribo Οὐκ ἐν τῷ παρόντι μόνον γιγνώσκω τῶν πολιτικῶν πραγμάτων ὡς σφαλερόν ἐστιν ἅπτεσθαι ἀλλὰ καὶ πρότερον χαλεπὸν ἡγούμην, πρὶν τῶν κοινῶν ἐπιμελεῖσθαί τινος· πολίτου δὲ ἀγαθοῦ νομίζω προκινδυνεύειν ἐθέλειν τοῦ πλήθους καὶ μὴ καταδείσαντα τὰς ἔχθρας τὰς ἰδίας ὑπὲρ τῶν δημοσίων ἔχειν ἡσυχίαν. [22]) *Demosth.* 25, 6. προκινδυνεύετε στρατευόμενοι. 297, 11. τοὺς ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας, atque de Atheniensibus Marathone pugnantibus προκινδυνεύειν usitatissimum est; cf. *Thuc.* I, 73 c. n. *Isocrat.* Paneg. c. 22 §. 75 τοὺς τοῖς σώμασιν ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος προκινδυνεύσαντας. *Lycurg.* c. Leocr. §. 50 ὑπὲρ κοινῆς ἐλευθερίας προκινδυνεύοντες. Ne Xenophon quidem eo vocabulo quamquam saepius utitur usquam aliter utitur. [23]) Cf. *Dissen* ad *Dem.* de cor. §. 277 p. 318. [24]) Cf. *Bergmann* in *Isocr.* Areop. p. 176 Bensel. [25]) Veluti ap. *Andoc.* de myst. §. 80 ἐγένετο ὑμῖν, ὧν ἐγὼ οὐδὲν δέομαι μεμνῆσθαι οὐδ᾽ ἀναμιμνήσκειν ὑμᾶς τῶν γεγενημένων κακῶν. cf. *Matth.* §. 476. [26]) *Boeckh.* Corp. Inscr. Gr. no. 857 ἀνὴρ ἀγαθὸς περὶ τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων, ib. no. 90. 101. 105. 106.

ostracismo eiectus et hic et §. 36 *φεύγειν* dicitur, quod quidem in exules cadit, qui autem ostracismi caussa solum vertunt, non *φεύγειν* sed *μεθίστασθαι* dicuntur; quomodo autem excusetur, quod partim quae huic inciso vera insunt, non erant ab oratore demum auditores docendi, quibus etiam non monitis constabat utique, quod erat ipsorum in oculis positum, institui certamen id inter actorem et Alcibiadem et Niciam eorumque uni ostracismum subeundum esse; partim sarcasmum referunt *ὁ μὲν οὖν ἀγὼν οὐ στεφανηφόρος*, in quem nego praeter sannionem incidere quemquam potuisse re vera periclitantem; tulerim, si in comoedia Xanthias cum Davo uter ipsorum vapulet certans inter illud suum et sacrorum ludorum certamen acerbam faciat comparationem; sed principes in civitate viros tum ipsum, cum decertent inter se, cuinam ipsorum sit per longum tempus republica carendum, eo lusus et ludibrii nego posse descendere, ut dicant et dicant *apud populum* suo certamini non coronam, quae in certaminibus sacrorum ludorum caussa institutis dari soleat, sed exilium propositum esse praemium; quibus denique machinis et artibus defendatur, quod et hic et §. **5** *decem* annorum exilium ostracismus dicitur esse, cum ex Philochoro[27]) constet ostracismo eiectum olim quidem per X̄, mox autem per V̄ tantum annos carere urbe debuisse; atque ea mutatio etsi quo anno sit facta ignoratur, tum certe facta erat, cum ultimum haberetur ostracismus; atqui haec oratio ad ultimum spectat ostracismum, neque post eum umquam est iterum habitus. An Philochoro fidem non habebis, peritissimo Atticarum antiquitatum viro? Sed faciunt cum eo etiam Diodorus (XI, 55.) et schol. Aristoph. Vesp. **1001**, uti a me nuper[28]) demonstratum est. Atque haec de priore prooemii parte; transeo ad alteram, in qua lex de ostracismo lata sex nominibus rationibusque reprehenditur.

IV.

Primum enim repugnare eam legem dicit iuriiurando senatus populique. *Ἄξιον δὲ*, inquit, *μέμψασθαι τὸν θέντα τὸν νόμον, ὃς ἐναντία τῷ ὅρκῳ τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς ἐνομοθέτησεν· ἐκεῖ μὲν γὰρ ὄμνυτε μηδένα μήτε ἐξελᾶν μήτε δήσειν μήτε ἀποκτενεῖν ἄκριτον, ἐν δὲ τῷδε τῷ καιρῷ οὔτε κατηγορίας γενομένης οὔτε ἀπολογίας ἀποδοθείσης διαψηφισαμένων κρύβδην τὸν ὀστρακισθέντα τοσοῦτον χρόνον δεῖ στερηθῆναι τῆς πόλεως.* Commemorat igitur iusiurandum senatus populique atque hoc significat unum fuisse, utrique commune; si enim suum voluisset significare fuisse populo iuramentum, suum senatui, non singulari esset numero usus. Nos vero novimus quidem iusiurandum[29]) senatus (*ὅρκον βουλευτικόν*), in quo inerat partim[30]) *κατὰ τοὺς νόμους βουλεύσω*, partim *τὰ βέλτιστα βουλεύσω τῇ πόλει*[31]), partim *ἀποφανῶ εἴ τινα οἶδα τῶν λαχόντων ἀνεπιτήδειον ὄντα βουλεύειν*[32]), partim *οὐδὲ δήσω Ἀθηναίων οὐδένα, ὃς ἂν ἐγγυητὰς τρεῖς καθιστῇ τὸ αὐτὸ τέλος τελοῦντας πλὴν ἐάν τις ἐπὶ προδοσίᾳ τῆς πόλεως ἢ καταλύσει τοῦ δήμου συνιὼν ἁλῷ κτλ.*[33]), partim, certe ex anno inde Ol. XCII. 3, *καθεδοῦμαι ἐν τῷ γράμματι ᾧ ἂν λάχω*,[34]) partim denique, ex quo amnestiae lex lata est, *καὶ οὐ δέξομαι ἔνδειξιν οὐδὲ ἀπαγωγὴν ἕνεκα τῶν πρότερον γεγενημένων πλὴν τῶν φευγόντων.*[35]) Novimus iusiurandum heliastarum[36]) (*ὅρκον ἡλιαστικόν* sive *ἡλιαστῶν*), quod continebat sane etiam illud *οὐδὲ τοὺς μένοντας ἐξελῶ παρὰ τοὺς νόμους τοὺς κειμένους*, sed id sacramentum, etsi Harpocratio[37]) auctor est eo omnes esse Athenienses publice obstrictos, constat tamen non pertinuisse nisi ad eos qui

---

[27]) ap. grammat. in Phot. Porson. append. p. 672. *τοῦτον ἔδει - μεταστῆναι τῆς πόλεως ἔτη δέκα, ὕστερον δὲ ἐγένοντο πέντε.* [28]) Commentat. de ostracism. p. 182. [29]) *Schömann* Antiq. Jur. Publ. Graec. p. 212. [30]) *Xenoph.* Memorab. I, 1, 18. [31]) c. Neaer. 1396, 25. [32]) *Lys.* c. Philon. p. 869 R. [33]) *Demosth.* c. Timocr. 746. [34]) *Philochor.* p. 66 Siebel. [35]) *Andocid.* de myst. §. 91. [36]) *Schömann* de lit. Attic. p. 128. [37]) v. *Ἄρδηττος — ἐν τούτῳ, φασὶ, δημοσίᾳ πάντες ὤμνυον Ἀθηναῖοι τὸν ὅρκον τὸν ἡλιαστικόν.*

heliastae ut sederent sortiti essent, aut certe heliasticam aetatem[38]) attigissent triginta annorum. Novimus sacramentum epheborum, quo qui ad ephebiam pervenissent, id est septimum decimum aetatis annum excessissent, in aede Agrauli, ni fallor, sollemnibus Agrauliorum adactos esse constat[39]), quod quidem sacramentum referebat fere sacramentum militare. Novimus iusiurandum novem praetorum[40]), quo illi ineuntes magistratum in leges iurabant; nam praeter novem archontas alios etiam magistratus in capessendo munere iusiurandum dedisse merito negat C. F. Hermannus[41]) ab quoquam memoriae traditum esse. Novimus[42]) iusiurandum arbitrorum sive iudicum de chororum certaminibus iudicantium, ut iuramenta praeteream, quae in iudiciis aut ab litigantibus aut ab testibus aut ab arbitris compromissariis dabantur. Iusiurandum vero populi idque commune senatus neque reliquorum scriptorum quisquam commemorat (id autem silentium est, si quod aliud, ut cum Fr. Aug. Wolfio loquar, *argutum* et *vocale*), neque credibile est fuisse, aut si fuit, ea continuisse quae hic narratur continuisse. Non credibile est fuisse; nam si fuisset, debuisset esse annuum, annuum autem neque fingi potest qua in opportunitate solitum sit dari; et non minus Demophanti[43]) plebiscitum quam sacramentum amnestiae[44]) repugnant annuo populi sacramento. Demophanti enim lex, quae lata est anno[45]) Ol. XCII, 3, iussit *ὀμόσαι δ' Ἀθηναίους ἅπαντας καθ' ἱερῶν τελείων, κατὰ φυλὰς καὶ κατὰ δήμους, ἀποκτείνειν*[46]) *τὸν ταῦτα ποιήσαντα – ταῦτα δὲ ὀμοσάντων Ἀθηναῖοι πάντες καθ' ἱερῶν τελείων, τὸν νόμιμον ὅρκον, πρὸ Διονυσίων.* Amnestiae autem sacramentum Andocides significat senatum quotannis iurasse: *ἡ δὲ βουλὴ αὖ ἡ ἀεὶ βουλεύουσα τί ὄμνυσι; „καὶ οὐ δέξομαι ἔνδειξιν οὐδὲ ἀπαγωγὴν ἕνεκα τῶν πρότερον γεγενημένων, πλὴν τῶν φευγόντων“*, quotannis heliastas: *ὑμεῖς δ' αὖ, ὦ Ἀθηναῖοι, τί ὀμόσαντες δικάζετε; „καὶ οὐ μνησικακήσω, οὐδὲ ἄλλῳ πείσομαι, ψηφιοῦμαι δὲ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους“*, cives autem omnes semel tantum et post reconciliatam quidem omnium pacem: *ὁ μὲν κοινὸς (ὅρκος) τῇ πόλει ἁπάσῃ, ὃν ὀμωμόκατε πάντες μετὰ τὰς διαλλαγάς, „καὶ οὐ μνησικακήσω τῶν πολιτῶν οὐδενί“ κτλ.* Nonne autem tum Demophantus tum amnestiae auctor sua iuramenta addi iussissent annuo populi iuramento, si annuum fuisset? Ego vero opinor. Sed ut fuerit annuum populi iusiurandum, atque adeo fuerit, id quod etiam minus credibile est, commune senatus populique, illud certe non poterat continere *μήτε δήσειν ἄκριτον*, se neminem in vincula carceremque coniecturos esse praeter condemnatos; nam carcere et vinculis in *ἀπαγωγῆς, ἐνδείξεως, ἐφηγήσεως*, atque in nonnullis *εἰςαγγελίας* iudiciis, quibus quidem aut perduellionis aut maiestatis (*προδοσίας ἢ καταλύσεως τοῦ δήμου*) ageretur, non convicti demum condemnatique sed iam rei tenebantur, quorum nomen esset delatum.

In iis vero, quae addit orator, *„ἐν δὲ τῷδε τῷ καιρῷ οὔτε κατηγορίας γενομένης οὔτε ἀπολογίας ἀποδοθείσης“*, illud mirum, quod quamquam negat in ostracismo accusationi et defensioni locum esse, orationem tamen ipse scripsit, in qua et se defendit et Alcibiadem accusat, et accusatores diserte commemorat (§. 8.) qui sibi odium popularis imperii et seditionem obiecerint et §. 25. Alcibiadem dicit de omnibus aliis potius quam de iis rebus se esse defensurum quarum sit accusatus (*περὶ πάντων μᾶλλον ἢ τῶν κατηγορηθέντων ἀπολογήσεσθαι.*) Quamquam cum *κατηγορεῖν* et *ἀπολογεῖσθαι* non tantum de iusta accusatione et defensione sed etiam de opprobriis factis repulsisque dicatur[47]), id non vehementer reprehendendum

---

38) *Demosth.* c. Timocr. 747, 9. 39) *Pollux* VIII, 105. *Stob.* XLIII, 48 p. 110. *Cicer.* de rep. III, 9 40) *Schömann* l. c. p. 245 not. 18. 41) *Prooem.* ind. schol. Marburg. a. 1833-34 p. VI, not. 1. 42) *Demosth.* c. Midiam §. 17. 65. 55. 43) *Andocid.* de mysteriis §. 96. 44) *Idem* §. 90. seq. 45) Corp. Inscript. Graec. Nr. 147. 46) Lege *ἀποκτενεῖν*, quod *Taylorus* (Reisk. Orat. Graec. Vol. VIII. p. 693.) ex M. A. [i. e. manu antiqua aut margine Aldinae] iam adnotavit. 47) *Demosth.* c. Mid. 519 §. 13. *Lys.* I, 37. *Thuc.* I, 91.

est. Magis mirum quod suffragiorum occultam lationem (*κρύβδην ψηφίζεσθαι*) reprehendit [48]), quae illud certe commodi habebat, ut privatae gratiae et privato odio minus locus esset, atque ad uniuscuiusque conscientiam recti omnia magis referrentur.

Alterum, quod in ostracismo reprehendit, hoc est: *εἶτα ἐν τοῖς τοιούτοις οἱ τοὺς ἑταίρους καὶ συνωμότας κεκτημένοι πλέον φέρονται τῶν ἄλλων*, in quo articulus absonus et aut tollendus aut cum *πολλοὺς* mutandus videtur; sed huius ipsius sententiae, quod in ostracismi opportunitate plus valere dicit, qui coniuratorum sodalitia habeant, quam qui non habeant, quodnam profert argumentum? *οὐ γάρ*, inquit, *ὥςπερ ἐν τοῖς δικαστηρίοις οἱ λαχόντες κρίνουσιν, ἀλλὰ τούτου τοῦ πράγματος ἅπασιν Ἀθηναίοις μέτεστι.* Taceo iterum doceri nunc auditores Athenienses, quod in ipsorum oculis esset positum, sed non tacere licet neque vesaniam, quae quando cives omnes suffragia ferant, gratiam et potentiam plus valere credat, quam ubi pars civium iudicandi provinciam sortita sit, neque impudentiam, quae non secum et clam ita sentiat, sed eadem publice apud ipsos Athenienses profiteatur, apud quos scilicet *μισοδημίας* crimen ab se avertere studet.

Sequitur: *πρὸς δὲ τούτοις τῷ μὲν ἐλλείπειν τῷ δ' ὑπερβάλλειν ὁ νόμος μοι δοκεῖ· τῶν μὲν γὰρ ἰδίων ἀδικημάτων μεγάλην τιμωρίαν ταύτην νομίζω, τῶν δὲ δημοσίων μικρὰν καὶ οὐδενός ἀξίαν ἡγοῦμαι ζημίαν, ἐξὸν κολάζειν χρήμασι, καὶ δεσμῷ καὶ θανάτῳ.* Reprehendit igitur orator ostracismum tertio loco propterea quod delictorum sit privatorum maior, publicorum minor iusto et lenior poena, quae scilicet poena omnino non erat, non erat *τῶν προγεγενημένων ἀδικημάτων τιμωρία* [49]), non *πονηρίας κόλασις* [50]), non instituebatur *ἵνα τὴν κακίαν κολάζωσιν* [51]), non erat *μοχθηρίας κόλασις* [52]). Neque vero Diodorus et Plutarchus in ea re soli contra oratorem testimonium dicunt, facit contra eum etiam Thucydides [53]), facit etiam Aristoteles [54]), qui quibus locis commemorat ostracismum, eum eo spectare dicit, ut decurtet eminentes atque aequalitati reliquorum metuendos, in qua aequalitate vertatur vis popularis imperii. Orator autem in eundem fere errorem iterum incidit §. 35, ubi adversus cives, qui essent et magistratibus et legibus potentiores, quod ab iis non possent privatae poenae repeti, ostracismum vult ut *poenam publicam* (*δημοσίαν τιμωρίαν*) institutum esse. Cur vero dicit publicorum delictorum ostracismum poenam iusto minorem esse et paene nihili? quod *ἐξὸν κολάζειν χρήμασι καὶ δεσμῷ καὶ θανάτῳ*, quod possint bonis et vinculis et morte puniri. Itaque per decem annos patria carere ex huius oratoris sententia levius est quam bonis mulctari. Sed sit ita; illud vero quod dicit licuisse, *καὶ δεσμῷ κολάζειν*, non licuit, non licuit civem Atticum vinculis punire, neque vincula erant publica poena Atticorum civium; carcere enim teneri Athenis *cives* non poterant, nisi aut vadimonii caussa, ne desererent vadimonium, id quod in iudiciis tantum *ἀπαγωγῆς*, *ἐνδείξεως*, *ἐφηγήσεως* atque in nonnullis *εἰςαγγελίαις* locum habebat, aut ne se poenae ab iudicibus irrogatae subtraherent, si poena capitalis esset; poenae autem caussa cives non tenebantur vinculis, nisi quod tum in paucis quibusdam privatis litibus carceris poenam per *προστίμησιν* addi licebat, atque in paucioribus etiam publicis caussis reus, cui mulcta irrogata esset, carcere tenebatur, donec solveret mulctam. Itaque poenam orator commemorat, quam non debebat, *δεσμόν*, non commemorat autem quas debebat, infamiam, publicationem bonorum, exilium perpetuum, longe graviores poenas quam mulctam et carcerem (*χρήματα καὶ δεσμόν*).

---

48) Recte enim *διαψηφισαμένων κρύβδην* esse ab Bekkero pro *οὔτε διαψ. κρ.* scriptum Philochori locus evincit, quem not. 27 excitavi *ἐτίθεσαν τὰ ὄστρακα στρέφοντες τὴν ἐπιγραφήν*. 49) *Diod.* XIX, 1. 50) *Idem* XI, 87. 51) *Id.* XI, 55. 52) *Plut.* Aristid. 7. 53) VIII, 73. 54) Politic. III, 8. 11, 12; V, 2, 4.

Quod quarto loco reprehendit in ostracismo *ἔτι δ' εἴ τις διὰ τοῦτο μεθίσταται, ὅτι πολίτης ἐστίν, οὗτος οὐδ' ἀπελθὼν ἐνθένδε παύσεται, ἀλλ' ὅπου ἂν οἰκῇ, ταύτην τὴν πόλιν διαφθερεῖ, καὶ τῇδε οὐδὲν ἧττον ἐπιβουλεύσει, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον δικαιότερον ἢ πρὶν ἐκβληθῆναι*, corruptum esse recte perspexit Reiskius, male negavit A. G. Beckerus; nam aliquem propterea eiicere civitate, quod sit civis, tam est vesanum, ut ne iste quidem declamator istuc in legislatorem contulerit; neque vero sanatur locus aut coniectura Reiskii *κακός*, aut Förtschii *τοιοῦτος* post *ἐστί* addentium, aut Ienensis alicuius censoris *ἀπολίτης* rescribentis pro *πολίτης*, quae omnia absunt ab veritate; quid enim desideretur, satis ex iis patet, quae sequuntur. Etenim cum in his dicatur, illud si spectarit legislator, irritam tamen fore expulsionem, quod postquam sit expulsus pergat et esse idem, qui fuerit antea, et urbem pessumdare eique insidiari non minus quam antea, sed iustiorem quam antea caussam sit habiturus, necesse est in antecedentibus significatum sit, eum iam antea quam expelleretur civitati insidiatum esse, eiusque libertatem pessumdedisse; scribendum est igitur: *ὅτι πολίταις ἐστὶν ἐπίβουλος, οὗτος οὐδ' κτλ.*; *ἐπίβουλος* enim, quod per litterarum similitudinem inter *ἐστίν* et *οὗτος* intercidisse statuo, notum satis est ex Platone [55]). Ea ipsa vero sententia non vera est; nam qui propterea urbe eiicitur, quod civium suorum libertati insidietur, is eiectus habebit sane insidiandi voluntatem non minorem, caussam etiam iustiorem, sed id, quod unum spectatur, opportunitatem et potentiam longe minores.

Quinto loco reprehenditur ostracismus, quod, cum possit usu venire, ut per ignorantiam optimus civis eiiciatur, futurum sit ut civitas per decem annos utilitatis fructu privetur, quem ex eo non eiecto capere potuerit. In graecis verbis: *οἶμαι δὲ καὶ τοὺς φίλους ὑμῶν ἐν ταύτῃ μάλιστα τῇ ἡμέρᾳ λυπεῖσθαι καὶ τοὺς ἐχθροὺς ἥδεσθαι, συνειδότας ὡς ἂν ἀγνοήσαντες ἐξελάσητε τὸν βέλτιστον, δέκα ἐτῶν ἡ πόλις οὐδὲν ἀγαθὸν ὑπὸ τούτου τοῦ ἀνδρὸς πείσεται*, notabo levius quiddam, neque tamen plane praetermittendum; legitur enim hic *ὡς ἂν* et §. **27.** *θαυμάζειν ἄν*, semel tantum §. **18.** *ἐὰν δέ* ex foederibus petitum, quorum, uti legum, plebiscitorum, SCtorum, etiam sequiore aetate erat *ἐὰν* non *ἂν* [56]); Andocides autem in oratione de mysteriis ubique forma utitur *ἐάν*, §. **11**, **8. 26**, **5. 33**, **3. 37**, **6. 41**, **8. 89**, **5. 123. 146. 149**, **11.**, unde credibile §. **144.** pro *τάδε, ἂν* esse *τάδ' ἐάν*, §. **149.** *οὐδ' ἐὰν* pro *οὐδ' ἂν* scribendum; *κἂν* autem §. **6.** remansisse videtur contractum ex antiquiore *καὶ ἤν*, non vero ex *καὶ ἄν*, ideoque eodem etiam Antiphon utitur II, *α* §. **3.** II, *β* §. **2.** (bis) §. **9.** V, **32.** VI, **6.** qui semel *καὶ ἂν* (VI, **4.**) semel *καὶ ἢν* (VI, **25.**) habet, *ἐάν* fere ubique (I, §. **3.** §. **20.** extr. §. **29.** §. **30.** II, *β*, §. **1.** §. **9.** II, *δ*, §. **7.** §. **8.** §. **10.** III, *α*, §. **1.** *β*, §. **2.** *δ*, §. **3.** (bis) V, §. **5.** (bis) §. **48.** §. **66.** (bis) §. **80.** (bis) §. **85.** §. **87. 90. 95.** (bis) **96.** VI, §. **4.** §. **8. 28**, nisi quod *ἂν* quater quidem post vocem quae in vocalem exit I, §. **23.** *δῷ ἂν* V, §. **46.** *ἄχθεσθαι ἂν* ib. §. **48.** *δεσπότῃ ἂν* VI, §. **50.** *οὐδ' ἄν*, semel tantum post consonam *ἐστὶν ἂν* II, §. **1.**, quod cum propter *ν* ephelcysticum excusationem habeat, mihi minus suspectum videtur, quam *μηδὲν ἄν*, quod Andocides de myst. §. **8.** dixit. Ex horum aequalibus Thucydides [57]) plerumque *ἤν*, rarius *ἐάν*, paene nunquam *ἄν*, unde VI, **18** Poppo pro *ἂν* maluit *ἐάν*, *κἂν* autem apud eundem saepius reperitur, veluti l. VI, c. **33.** §. **5.** Xenophon *ἢν* dicit et *ἐάν*, *ἂν* autem tum tantum, ubi

---

[55]) *Plato* Sympos. p. 203. D. *ἐπίβουλός ἐστι τοῖς καλοῖς* Theaetet. §. 81. p. 174 D. [56]) Id eo usque valet, ut non tantum in ipsis legum formulis sed etiam cum oratores suis verbis argumentum legum, plebiscitorum, SCtorum, pactionum, foederum referunt, *ἐὰν* particula utantur. Exempla ex innumerabilibus pauca dabo haec: *Lys.* c. Theomn. I, 6. 9. 12. 16. 30. II, 3. 4. 5. 6. pro milit. IX, 6. c. Alcib. XIV, 8. de caed. Erat. §. 32. 49. Corp. Inscr. Gr. 2329, 22. n° 75, 12. n° 76 *ἐάν που.* ib. *ἐάν τι* 87. *ἐάν τι.* 93 *ἐὰν δέ* (bis) ib. *ἐάν τις* 120. *ἐὰν δέ.* 107 *ἐάν τις.* al. Suspectum hinc *ἂν δυνατὸς ὦ* in lege ap. *Andocid.* de myst. §. 97. cum in reliqua lege saepius *ἐάν* extet, suspectum *ἂν οἱ ἄρχοντες* ap. *Lys.* XXII, 6. [57]) *Poppo* I, 1, 230.

antecedens vox desinit in vocalem; ubi enim in consonam exit, tam raro reperitur, ut in vitii veniat suspicionem; in libello autem de republica Atheniensium, quem Xenophonte credo paullo antiquiorem esse, non offendor neque in καὶ ἄν II, 17, neque in δέδοικεν ἄν I, 11, quod excusatur praecedente ν ephelc. Lysias[58]) numquam ἤν, sed semper ἐάν [illegible] quod post vocabulum in vocalem exiens ἄν non raro habet, post consonam rarissime. Isocrates[59]) plerumque ἤν, raro ἐάν, nunquam ἄν videtur dixisse; Demosthenes[60]) et reliqui oratores ἤν forma abstinuerunt plane, ἐάν et ἄν ita usi sunt, ut dici nequeat utra forma saepius. Lycurgus fere ubique ἐάν formam habet, nisi quod ter post vocalem aut apostrophum, semel post consonam ἄν exhibet; Aristophanis poetae videtur aut ἤν aut ἐάν fuisse, cuius iambicam esse mensuram demonstravit G. Dindorfius[61]); ἐπήν autem non ἐπάν dixisse Atticos, L. Dindorfii[62]) scita observatio est.

Sed illud levius, praesertim cum quae eo ex genere afferri possunt et propediem sum allaturus, nondum constet, sintne ad oratorem an ad eius librarium referenda; gravius hoc quod cum sexto loco legis de ostracismo perlatae etiam hinc probari dicat pravitatem, quod ea lege omnium Graecorum Athenienses soli utantur, (legum enim eas esse optimas, quae non minus conveniant paucorum quam multitudinis imperio) mirifice contra rerum fidem et memoriam pugnat; satis enim constat apud Ephesios, Milesios, Argivos, Megarenses, Syracusanos si minus idem, certe simile obtinuisse institutum, etsi et nomine fuerit diversum et forma nonnihil immutatum. Attamen ita excusare oratorem licet, quod tum ostracismus Athenis diutius, per VC fere annos, perduravit, qui in reliquis Graecis urbibus brevissimi temporis fuerit, et iam multum ante fictum huius orationis tempus obsoleverit, tum quod non tam illud ab oratore dicatur, nullam aliam urbem ostracismo uti, quam id potius, nullam aliam Athenienses ea in re imitatam esse; atque ab Atheniensibus ad alias urbes pervenisse ostracismum, illud sane non est memoriae proditum. Verum si cui haec erroris non videatur legitima excusatio, nedum defensio esse, sicut ne mihi quidem videtur, eo tamen argumento non licet abuti, ut oratio eripiatur Andocidi, quem constat in rerum memoria fuisse negligentissimum; sed ostracismum, cum versatus sit in *popularis* imperii aequalitate tuenda, propterea reprehendere, quod *paucorum* imperio non conveniat, id ita ineptum est, ut in Andocidem aut eius aequales non videatur posse conferri.

---

[58]) ἐάν apud *Lys.* I, 5. 16. 36. 47. 49. III, 4. 9. (bis) VI, 14. 15. (bis) 41. 43. XI, 11. XII, 15. XIII, 52. 76. 97. XIV, 11. 12. 13. 20. 21. XV, 5. XVI, 3. (bis) XIX, 30. 33. 56. XXIII, 16. XXV, 4. 17. 33. XXVI, 6. 14. 15. extr. XXVII, 9. XXIX, 14. XXXI, 25. — ἄν post vocem, quae in vocalem exit V, 4 ὅτι, ἄν VI, 15 εἶναι, ἄν. X, 15. διδάξαι, ἄν. XII, 28. τριάκοντα, ἄν XIII, 61. γε, ἄν. XIV, 22. ἀξιῶ· ἄν. XIIX, 17. μάλιστ' ἄν. ib. 20. πιπράσκεται, ἄν. XIX, 1. ὅτι, ἄν. ib. 10. καὶ ἄν. 61. ὠφελήσεσθε ἄν. XXII, 10. δ' ἄν. ib. 19. ἡγουμενοι· ἄν. ib. 21. οὐδ' ἄν. 22. ἐπίστασθε· ἄν. XXVI, 5. ὥςτε ἄν. 6. δοκῆτε· ἄν. XXIIX, 17. ἠδικημένοι· ἄν. Post vocem autem, quae exit in consonam litteram, apud Lysiam, ni fallor, sex tantum locis reperitur ἄν. VI, 4. γὰρ ἄν. XXI, 13. λειτουργεῖν· ἄν. XXII, 15. ἀγαπῶμεν· ἄν ib. 19. λοιποὺς· ἄν. XXIV, 6. ἧς· ἄν. XXVII, 6. κλέπτειν· ἄν, de quibus mihi nondum stat iudicium, cum libros mss. quibus Lysiam acceptum referimus, pessime habitos esse constet. [59]) *Benselerus* quidem ad Isocrat. Areopag. p. 146 sqq. Isocratem credit ἤν et fortasse ἄν, non tamen ἐάν scripsisse; verum qui vel ea tantum quae collecta ab eo sunt, perlustraverit, in eam potius deferetur sententiam, quam supra dixi; nam cum multis locis libri constanter ἤν, non paucis alii ἤν, alii ἐάν, alii ἄν exhibeant, 29 locis libri omnes ἐάν, 6 tantum locis omnes ἄν praebent, in quibus vocalisne an consona littera praecedat, ne licet quidem dicere nunc, cum verba a Benselero non adscripta sint, qua autem usus est editione Isocratis, ea mihi ad manus non sit. [60]) In septuaginta primis paginis Demosthenicarum orationum ἐάν est in 16, 22. 29, 1. 31, 5. 32, 23. 37, 5. 18. 44, 19. 48, 4. 12. 51, extr. 52, 24. 54, 15. 55, 5. 67, 7. 70, 15. 71, 27. 73, 5. ἄν post consonam 12, 10. 21, 20. 22, 18. 24, 2. 26, 4. 29, 14. 33, 20. 43, 11. 45, 7. 59, 14. post vocalem aut post apostrophum 12, 12. 13, 17. 14, 2. 15, 1. 15, 23. (21, 3 et 32, 10 post ν. ephelc.) 31, 9. 33, 26. 41, 3. 42, 3. 13. 45, 25. 48, 8. 53, 1. 2. 54, 20. 24. 57, 18. 67, 24. 70, 15. 71, 18. 72, 19. [61]) In *Aristoph.* Vesp. 228 ed. Oxon. [62]) In *Xenoph.* Cyrop. III, 2, 6. cf. *G. Dindorf.* in Aristoph. Lysistr. 1175.